CORNELII TACITI

DE VITA IULII AGRICOLAE LIBER

RECENSUIT, PRAEFATUS EST
APPENDICE CRITICA INSTRUXIT
CAESAR ANNIBALDI

ACCEDUNT
DE CORNELIO TACITO TESTIMONIA VETERA
A CAROLO PASCAL CONLECTA

IN AEDIBUS IO. BAPT. PARAVIAE ET SOCIORUM
AUG. TAURINORUM-ROMAE-MEDIOLANI-FLORENTIAE-NEAPOLI-PANORMI
GENUAE, apud MONTALDUM Bibliopolam.

CORPUS SCRIPTORUM LATINORUM
PARAVIANUM

MODERANTE CAROLO PASCAL

EX OFFICINA REGIA
I. B. PARAVIAE ET SOC.
AUGUSTAE TAUR.

Torino - Stamperia Reale di G. B. Paravia e Comp.
26 (C5M2) I - 917 - 8925.

PRAEFATIO

DE « AGRICOLAE » CODICIBUS ET PRAESERTIM DE CODICE AESINO.

Usque ad annum MCMIII tres « Agricolae » codices in usu erant atque in notitia doctorum hominum, *duo* scilicet *Vaticani*, numeris 3429 et 4498 distincti, quorum *alter* littera A, *alter* B vulgo indicatur (a Wexio tamen litteris Γ et Δ) et *Toletanus:* A, qui chartaceus est et manu Pomponii Laeti perscriptus, hanc notam habet: « Cornelio Tacito della Vita d'Agricola, scritto di mano di Pomponio Laeto, ligato dietro al Tacito stampato. Ful. Vrs. ». Ille igitur codex principem Taciti editionem continet typis descriptam et a Vendelino de Spira (Venetiis 1470) curatam, cui illud exemplar manuscriptum coniunctum est. Membranaceus est B, nitidis litteris sed mendose saeculo XV scriptus ab homine non satis docto, cum contra in priore illo exarando egregiam Pomponius Laetus diligentiam attulit. In eo insunt: *Frontinus de aq.; Rufus de provinciis; Sueton. de gr. et rhet.; Plinius de viris illust.; Taciti Agricola; de orat.; Germania.*

Tertium « Agricolae » codicem manuscriptum anno MDCCCXCVII Wuensch in medium protulit (v. *Herm.* XXXII, 1897, pagg. 42-59), qui codex continet etiam *Germaniam* et aliquot Plinii *epistulas.* Codex iste (= T) apud Hispanos, Toleti, in bibliotheca capitulari

inventus, numeris 49, 2 indicatur: Michael Angelus Grillus Tudertinus, Fulginiensis cancellarius, anno MCCCCLXXIV eum perscripsit; Otho Leuze in ephemeridibus, quae inscribuntur *Philologus* (Suppl. VIII, 1899-1901, pagg. 513-556), collationem dedit ac multa praeclaraque docuit ac disseruit.

Anno vero MCMIII Aesii in Bibliotheca Guilelmi Balleani comitis pretiosum codicem membranaceum ipse repperi, tria opera et quidem hoc ordine complectentem: « *Bellum Troianum* » Dictyos Cretensis, quod quinquaginta et uno foliis integrum, sex libris digestum, binis columnis exaratum continetur; « *Agricolam* » Corn. Taciti in quattuordecim foliis binarum pariter columnarum descriptum; « *Germaniam* » denique eiusdem scriptoris, manu saeculi XV undecim foliis conscriptam.

« Agricolae » liber, de quo hic tantum referre debemus, omnium huius operis codicum praestantissimus est, cum ex *quattuordecim* foliis, quibus constat, *octo* grande quippe fragmentum « Agricolae » praebeant, multo antiquius quam omnes libri qui hucusque in manibus nostris fuerunt; nam scripturam prae se ferunt, quae *minuscula carolina* dicitur, saeculi IX vel X; cetera vero folia sunt ex manu docti cuiusdam grammatici saeculi XV, scilicet Stephani Guarnerii, Perusiae cancellarii, qui hunc librum in sua bibliotheca habuit et ipse et quidem posteri eius religiose servaverunt.

De huius libri auctoritate copiose egi tum in mea commentatione, quae « L'Agricola e la Germania di Cornelio Tacito nel ms. latino N° 8, cett. 1907 » inscribitur, tum in altera « La Germania di Cornelio Tacito, cett. 1910 », tum denique in Praefatione quam *Germaniae* a me editae in hoc *Scriptorum Corpore* praemisi. Firmissimis argumentis demonstravi *octo* illa vetera folia, quae extant, illius codicis Henochii Asculani esse, sive *ipsius codicis Hersfeldensis* a Petro Candido Decembrio his verbis clare descripti: « Est alius liber eiusdem (scil. *Taciti*) de Vita Iulii Agricolae soceri sui in quo continetur descriptio Britanie Insule (*sic*), nec non populorum mores et ritus. Incipit: Clarorum virorum

moresque etc. Opus foliorum decem et quattuor in columnellis. Finit: Nam multos veluti inglorios etc. » (v. R. Sabbadini, *Il ms. Hersfeldese delle opere minori di Tacito* in ephemeridibus quae inscribuntur *Riv. di Filologia e d'Istruzione classica*, XXIX, 262 sgg. = *Storia e critica di testi latini*, Catania, 1914, p. 279). Huius igitur « Agricolae » libri nos *quattuor novicia* folia tenemus hoc ordine descripta, scilicet ff. 52-53-54-55 (praecedit enim, ut diximus, Bellum Troianum); *octo* folia vetera integraque, ff. 56-57-58-59-60-61-62-63; *duo* postrema novicia ff. 64-65 ex veteribus plane exarata, quae adhuc extant, alterum « Germaniae » partem exhibens (f. 69), alterum erasum vacuumque in codicis fine manens (f. 76). Haec autem *sex novicia* folia, ad imitationem archetypi vetustioris disposita, similique litteratura exarata, ex antiquis foliis Stephanus Guarnerius descripsit; *duorum* revera foliorum 69-76 scripturam in *duo* novicia 64-65 translatam esse lippis quidem oculis apparet, nam in postremo praesertim folio 76, non ita antiqua scriptura erasa fuit, ut adhuc legi nequeat. Idem in priore « Agricolae » parte, ff. 52-53-54-55, quae antiquam superstitem scripturam antecedit, factum esse puto; quattuor igitur foliis noviciis totidem antiquorum omnino respondent, quod a doctis plerisque viris conprobatum est.

At nunc res ipsa admonet ut de historia huius codicis, Taciti *opera* quae dicuntur *minora* continentis, pauca conmemorem. Poggius Bracciolinius in epistola ad Nicolaum de Nicolis (1) missa « sub die III nov. 1425 » ita scribit: « Quidam monachus amicus meus ex quodam monasterio Germaniae qui olim a nobis recessit ad me misit litteras, quas nudius quartus accepi: per quas scribit se repperisse aliqua volumina de nostris... Inter ea volumina est Iulius Frontinus et *aliqua opera* CORNELII TACITI *nobis ignota;* videbis Inventarium... Libri ponentur in Nurimberga etc. ».

(1) *Studi italiani di filologia classica*, vol. VII, Firenze, 1899, pag. 119, in adn. 1; POGGI *Epistol.*. ed. Tonelli, Florentiae, 1832, I, pag. 168.

Maximo studio et labore Poggius *opera illa ignota* quaesivit, in epistola revera data XVIII kal. octobr. 1426 rursus dicit: « De libris germanis nil dicam amplius nisi me non dormire more tuo, sed vigilare: quodsi quidam, prout spero, fidem servarit, liber ad nos veniet vel vi vel gratis . . . ». Adcuratiorem vero notitiam dedit Antonius Panormita, nam mense aprili anni sequentis 1427 eiusdem inventarii apographo usus, die XXIII mensi Ianuarii Guarino Veronensi scribit: « Compertus est Corn. Tacitus de origine et situ Germanorum. Item eiusdem liber de vita Iulii Agricolae isque incipit: « Clarorum virorum facta » ceterave... Et inventus est quidam dialogus de oratore et est, ut coniectamus, Corn. Taciti, atque is ita incipit: « Saepe ex me requirunt » et cetera. Inter quos et liber Suetonii Tranquilli repertus de grammaticis et rhetoribus: huic initium est: Grammatica Romae ». Ille monachus igitur volumen Taciteum offerebat, quod Taciti Germaniam, Agricolam, Dialogum et Suetonii de grammaticis et rhetoribus fragmentum conplectebatur; sed minime promissa solvit, et spes Poggii decepta est; eius revera epistolae hoc passim testantur. In epistola III, 14 conqueritur, quod de Corn. Tacito nil amplius compertum habet: « De Cornelio Tacito, qui est in Germania, nil sentio: exspecto responsum ab illo monacho » (v kal. Oct. 1427), et iterum (Epist. III, 19): « Cornelius Tacitus silet inter Germanos, neque quicquam exinde novi percepi de eius operibus » (d. XI sept. 1428), ac postremo Nicolaum suum certiorem facit monachum Hersfeldensem advenisse *absque libro*: « Monachus Hersfeldensis venit *absque libro*, multumque est a me increpatus ob eam causam: asseveravit se cito rediturum, nam litigat nomine monasterii, et portaturum librum. Rogavit me multa; dixi me nil facturum, nisi librum haberemus: ideo spero et illum nos habituros quia eget favore nostro . . . » (Romae, XXVI Febr. 1428, Ep. III, 29). Neque posthac ulla alia Poggii epistula nos docet monachum Hersfeldensem cum *libro* rediisse, de quo neutiquam actum est usque ad finem anni 1455, cum Enoch ex regionibus septentrionalibus Romam reversus secum eum codicem

advexit, ad quem etiam liber « Germaniae » Leidensis redit, ut ipsius libri testatur adnotatio in primi folii parte aversa posita: « Hos libellos Iovianus Pontanus exscripsit nuper adinventos et in lucem relatos ab Enoc (*sic*) Asculano quamquam satis mendosos MCCCCLX Martio mense ». Reliqua per Decembrii *diarium* nota sunt; immo per idem diarium, quod in « Germaniae » editione ex integro descripsi, in libro ab Henoch in Italiam advecto hoc ordine opera conlocata fuisse edocti sumus: *Germania* - *Agricola* - *Dialogus* - *Suetonius*.

Totus itaque Hersfeldensis codex sex quaternionum fuit, inter tertium quartumque duobus foliis inter se cohaerentibus interpositis; *Dialogus* vero sex foliis caret, at non ipse liber Hersfeldensis eum passus est defectum, sed eius archetypus.

Non est igitur dubium, ne alia verba adiungam, quin noster Taciti liber « Agricolae », qui ex quattuordecim foliis constat, ipse *Hersfeldensis* sit censendus.

Effecimus etiam *Toletanum* ex *Aesino* potissimum manasse ac prae duobus Vaticanis non mediocrem praestantiorum lectionum numerum habere, quae quidem integrae illae et nativae putari possint, quarum conplures, ut bene exposuit Paulus Fossataro (1) vel ea confirment quae grammatici coniecerint, vel de quibus certaverint, ea, controversiis diremptis, inlustrent explanentque. Praeterea in dubium nemo revocare potest quin ille codex cum ab uno atque eodem archetypo, quo duo Vaticani, originem ducat, cum illis tamen nulla alia ratione coniunctus fuerit: hunc enim ex communi capite recte defluere, illos vero ex alio quodam libro interposito deductos esse patet. Nunc auctoritate codicis Aesini confirmantur omnes Toletani lectiones, quas Leuze praestantissimas prae Vaticanis putaverit, aliis autem Aesini lectionibus Vaticanae nova luce inlustrantur. Notae vero in marginibus adscriptae

(1) Vide PAULI FOSSATARO opusculum *De quibusdam Taciti Agricolae lectionibus emendandis et sententiis interpretandis. Commentarium ex Aesino codice nuper reperto* (Neapoli, Typis Regiae Universitatis Studiorum, MCMVII).

atque menda codicum nostrorum non illa quidem in eos, ut plerique putarunt, ex *alio codicum genere* translata sunt, sed de *archetypo* ipso tradita: quarum notarum aliquot Aesinus fert, quae in recentioribus grammaticorum tribus illis codicibus non inveniuntur.

***

Franciscus Puteolanus primus « Agricolam » typis descripsit. Tres huius recensionis editiones exstant: I. « *Iulii Agricolae vita per Cornelium Tacitum eius generum castissime composita* »; loci et anni notatione caret; Mediolani eam excusam existimant, alii anno 1476, alii anno fere 1482. II. « *Iulii Agricolae vita per Corn. Tacitum eius generum castissime composita* » in libro qui *C. Cornelii Taciti opera* conplectitur, sine nota loci et anni, quo editus est: Mediolani eum prodiisse dixerunt, sed nihil certi de hac re habemus. III. *Taciti opera*, Venetiis per Philippum pinci (*sic*): sumptibus dñi Benedicti Fontana. Anno dñi. MCCCCXCVII die XXII martii. Hae tres Puteolani editiones nulla alia re inter se differunt nisi typothetarum mendis.

Post Franciscum Puteolanum Taciti opera ediderunt I. Rivius Venet. 1512, Ph. Beroaldus Romae 1515, Andreas Alciatus Mediol. 1517, Basil. 1519, Beatus Rhenanus Basil. 1533-1544, Aldus Manutius Venet. 1534, Iustus Lipsius Antverp. 1574-1581, Lugd. Basil. 1595, Antverp. 1600-1607, Curtius Pichena Francof. 1607. Non hi omnes libris manuscriptis usi sunt, ut ipse Rhenanus et alii confitentur.

Aesino nostro « Agricolae » libro nulla cognatio est nec cum editione principe Puteolani, nec cum codice illo, quem *veterem* appellavit Ursinus, et qui editus est in opere: *Fragmenta historicorum collecta ab Antonio Augustino, emendata a Fulvio Ursino*, Antverpiae ex officina Plantiniana apud Viduam et Ioannem Moretum. MDXCV; additae sunt *Fulvii Ursini notae* cum ad alios scriptores tum ad Taciti Agricolam.

Quamvis Aesinus codex nihil suppeditet ad quosdam Agricolae conruptissimos locos conrigendos, tamen ideo praestat quod, si cum libris ante cognitis eum conferamus, plus luminis in Taciti opusculum conferre possumus et maxime cognoscimus Pomponium Laetum summa cum fide et religione exemplar suum descripsisse, neque arbitratu suo quidquam novasse. Praeterea multa alia, quorum fides et auctoritas alioquin in dubium vocaretur, *Aesino codice* confirmantur et suspicione, ne coniectura sint invecta, liberantur. Quin etiam quamquam exploratum hodie habemus a nemine alio nisi a Cornelio Tacito Agricolae vitam exponi potuisse, tamen summae auctoritatis liber noster est, praebens in postremo antiquae scripturae folio (76) eraso et vacuo hunc claris notis titulum: CORNELII TACITI DE VITA IVLII AGRICOLAE LIBER EXPLICIT.

CAESAR ANNIBALDI.

DE CN. IULII AGRICOLAE VITA.

De Cn. Iulio Agricola fere omnia, quae novimus, ex Taciti libello habemus; nomen integrum *Cn. Iulium Agricolam*, cum in libelli inscriptione sit tantum « Iulius Agricola » Tacitus ipse refert: « Gnaeus Iulius Agricola, vetere et inlustri Foroiuliensium colonia ortus » (cap. 4). Natalem annum Agricolae, scil. annum quadragesimum post Chr. n. ex capite 44 habemus: « Natus erat Agricola Caio Caesare tertium consule Idibus Iuniis; excessit tertio et quinquagesimo anno decimo Kal. Septembr. Collega Priscoque css. ». Natalem annum tamen multi in dubium revocaverunt (1). Fatalis annus fuit nonagesimus tertius post Chr. n. Manifestum in Taciti capite 44 est codicum mendum: *VI et quinquagesimo anno*, ubi *III et quinquagesimo anno* reponendum est, nam Caii Caesaris tertius consulatus in annum 793, Collegae Priscique in annum 846 incidit.

In cap. 4 legimus: « Vetere et inlustri Foroiuliensium colonia ortus »: Forum Iulii (nunc *Fréjus*), Galliae Narbonensis oppidum fuit. Pater Iulius Graecinus, mater Iulia Procilla ei fuit; alter vir egregius *senatorii ordinis*, altera *rarae castitatis* mulier. De Iulio Graecino haec habes apud Senecam, *De Benef.* II, 21: « Si exemplo magni animi opus est, utemur Graecini Iulii viri egregii, quem C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir esset, quam esse quemquam tyranno expediret ». Scripsisse Graecinum aliquid *de re rustica* vel saltem de *vineis* efficitur ex Columellae cap. I: « cuius (Iulii Attici) velut discipulus duo volumina similium praeceptorum *de vineis* Iulius Graecinus conposita facetius et eruditius posteritati tradenda curavit ».

---

(1) Cfr. WEX., ad Tac. *Agr.* p. 199 et sq.; sed vide MOMMSEN., *Staats.* I², 556, n. 1.

Educatus est Massiliae, qui locus, ut Taciti utar verbis (c. 4) erat « graeca comitate et provinciali parsimonia mixtus et bene conpositus ». Honorum viam ingressus, fuit tribunus militum in Britannia (c. 5), quaestor provinciae Asiae, fortasse anno 64, ut plerique putant, tribunus plebis, praetor anno 68, dein a Galba electus « ad dona templorum recognoscenda diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium respublica quam Neronis sensisset (c. 6) ». In partes Vespasiani transgressus, ab ipso inter patricios relatus (c. 9), mox fuit legatus provinciae Aquitaniae; minus triennium in ea legatione detentus (74-76), tum fuit consul, pontifex, mox in Britanniam est missus, cui per septem annos (78-85) praefuit, plerasque res domi bellique egregie gerens (c. 18-38; cfr. etiam Dionem Cass. XXXIX, 50; LXVI, 20). Quamobrem triumphalibus ornamentis est decoratus a senatu, qui etiam statuam ei honoris causa poni decrevit (c. 39). Romam dein reversus in otio et quiete vitam egit, praesertim ut Domitiani suspiciones a se avocaret; neque ab eius morte suspicio afuit veneni a principe dati (c. 43); id quod disertis verbis Dio Cassius (LXVI, 20) refert. Tacitus populi rumorem referens Agricolam veneno esse interceptum, statim addit (c. 43): « Nobis nihil conperti adfirmare ausim »; sed e reliquis omnibus huius capitis et eorum quae antecedunt, verbis manifesto apparet eius animum ad hanc suspicionem fuisse proclivem (1). [C. P.].

(1) De Cn. Iulio Agricola eiusque in Britannia expeditione vide C. L. Urlichs, *De vita et honoribus Agricolae* (Wirceb. 1868), et Herm. Dessau, *Prosopographia imperii romani*, II (Berolini, 1897), p. 161. Cfr. etiam Ph. Pauer, *De rerum ab Agricola in Britannia gestarum narratione tacitea* (Gottingae, 1881); K. Panzer, *Die Eroberung Britanniens durch die Römer bis auf die Statthalterschaft des Agricola* in *Historische Untersuchungen; Arnold Schaefer... gewidmet* (Bonn, 1882); A. Berghaus, *Tacitus und die Engländer* in *Europa*, 1885, 649-654; C. L. Urlichs, *Die Schlacht am Berge Graupius* (Würzburg, 1882).

MONITUM.

In hoc de Agricola libello edendo, hoc curavimus, ut ab illo vetustissimo Aesino libro, de quo fusius in *Praefatione* egimus, nisi cum necessitas cogeret, nunquam discederemus. Cum tamen et ipse ille Aesinus codex et ceteri omnes haud exiguam praebeant scripturae inconstantiam, nos eos non tam religiose secuti sumus, ut eorum inconstantiae in hac editione imaginem repraesentari sineremus; nec eos quod ad orthographicam, quam dicunt, rem attinet, tanti duximus, ut scribendi formas, quae in ipsis sunt, in *Appendice critica* ubique memoratas vellemus. Semel tantum monemus nos, sive consentientibus sive repugnantibus codicibus, eas scribendi formas adhibuisse, quae sunt: 1, 12 *adrogantiam;* 3, 21 *conposuisse;* 4, 1 *inlustri;* 5, 2 *adprobavit;* 10, 14 *inmensum;* 23, 7 *submotis;* 24, 13 *conmercia;* 25, 9 *adtollerent;* 46, 15 *inbecilla*. Quae verba exempli causa attulimus: cetera omnia ad hanc scribendi rationem conformavimus. Ea quae in codice B (Vatic. 4498) procul dubio mendose traduntur, omnia prosequi noluimus.

[Caes. Ann.].

COMMENTATIONES. EDITIONES.

Restat ut quae praecipuae, recentioribus praesertim temporibus, de Taciti *Agricola* commentationes vel editiones prolatae sint, commemoremus. Eae sunt:

ANDRESEN G., *Zur handschriftlichen Ueberlieferung des Agricola* (Wochenschrift fur klassische Philol. 1900, n. 47, 1299 sqq.).

ANNIBALDI C., *L'Agricola e la Germania di Cornelio Tacito* nel ms. lat. n. 8 della Biblioteca del Conte G. Balleani in Iesi, Città di Castello, 1907.

BAEHRENS E., *Zu Tacitus' Agricola* (Jahrbücher f. klass. Philol. 127 (1883), p. 641-642) (de capitibus 3, 35, 38, 40). — *Miscellanea critica*, Groningae 1878 (p. 125-170: Ad Tac. Agricolam).

BÜSSE I., *De Taciti Agricola*. Progr. des Gymn. Hildesheim, 1886.

DEDERICH A., *Ueber die Suevi bei Tac. Agric.* 28 (Monatschr. f. d. Geschichte Westdeutschlands, 1878, p. 427-432).

DELBŒUF I., *Tacite et l'Agricola* (Revue de l' Instruction publ. en Belgique, 23, 1879, p. 309-329).

DIETRICH P., *Ueber die Tendenz des taciteischen Agricola*. Progr. des Realgymn. Stralsund 1887.

DRAEGER A., *Das Leben des Agricola von Tacitus*. Sechste Aufl. besorgt von W. HERAEUS. Leipzig und Berlin. Teubner, 1905.

DRONKE E., *Annotatio critica in C. Cornelii Taciti Agricolam*. I. Progr. Fuldae, 1842. — II. Progr. 1872.

FOSSATARO P., *Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae liber*. Napoli, Detken e Rocholl, 1911.

FRÖHLICH J., *Verbesserungsvorschläge zu einigen Stellen aus Horatius, Tacitus u. Theokitus*. Progr. 1827.

GÜTHLING C. E., *De Corn. Tac. libris minoribus. I De Agricola.* Progr. des evang. Gymn. Liegnitz, 1878.

HAACKE A., *Zu Tacitus' Agricola* (Zeitschr. f. d. Gymnasialw. 32, 1878, p. 777-779).

HACHTMANN K., *Zu Tacitus' Agricola* (Jahrb. f. klass. Philol. 135, 1887, p. 492-495) (de cap. 18). — *Zu Tac. Agric.* (ibid. 147, 1893, p. 353-356) (de cap. 9). — *Zu Tac. Agric.* (ibid. 149, 1894, p. 493-496) (de cap. 24).

HAVERFIELD F., *Tacitus, Agric.* 24 (The Classical Review 9, 1895, p. 310-311).

HEDICKE E., *Corn. Tac. de vita et moribus Iulii Agricolae liber.* Ad fidem codicum edidit (Beilage zum Jahresbericht d. königl. Gymn. zu Freienwalde) 1909.

KELLER O., *Deux passages de l'Agricola de Tacite* (Revue de philol. 16, 1892, p. 146-148) (de capp. 9 et 18). — *Zu Tacitus' Agricola* (Jahrb. f. klass. Philol. 145, 1892, p. 336) (de cap. 5).

KOSTER E. B., *Ad Tacitum* (Mnemosyne, 24, 1896, p. 129-133) (de capp. 1, 5, 42, 45).

KOTHE H., *Zu Tacitus' Agricola* (Jahrb. f. klass. Philol. 135, 1887, p. 495-496) (de cap. 30).

LEUZE O., *Die Agricola-handschrift in Toledo.* 1900

LÖWNER H., *Der literarische Charakter des Agricola von Tacitus.* Progr. des Gymn. Eger, 1884.

MAXA F., *Observationes criticae et exegeticae in Taciti Agricolam.* 3 partes. Progr. des Gymn. Radautz. 1885, 1886, 1887.

MEYER E., *Zur Erklärung der Tacitusstelle Agric.* 28 (Monatschr. f. d. Geschichte Westdeutschlands, 5, 1879, p. 474-475).

MORGAN T., *On two points in romano-british history* (The Journal of the british archaeological Association 44, 1888, p. 188-193).

MÜLLER I., *Cornelii Taciti opera quae supersunt.* Editio maior. Vol. II (Hist. et opp. min.). Editio altera emendata. Lipsiae et Vindobonae. Freytag und Tempsky, 1906.

MÜLLER P. R., *Zu Tacitus' Agricola* (Jahrb. f. klass. Philol. 145, 1892, p. 140-142) (de capp. 8, 9, 11, 12, 18, 33, 42).

NOVÁK R., *Taciti Germania, Agricola, Dialogus.* Prag, A. Storch, 1902.

PAUER P., *De rerum ab Agricola in Britannia gestarum narratione tacitea.* Gottingae 1881.

PFITZNER W., *Zu Tacitus' Agricola* (Jahrb. f. hlass. Philol. 153, 1896, p. 560-564) (de cap. 24).

PFUNDNER O., *Zu Tacitus' Agricola* (Jahrb. f. klass. Philol. 121, 1880, p. 724) (de capp. 1, 30).

PRAMMIER I., *Zu Tacitus' Agricola* (Zeitschr. f. d. oesterr. Gymn. 31, 1880, p. 173-174) (de capp. 27, 31, 33).

RITTWEGER K., *Zu Tacitus* (Zeitschr. f. d. Gymnasialw. 36, 1882, p. 344-346) (de capp. 1, 34).

SCHÖNE A., *Zu Tacitus Agricola* (Wochenschr. f. klass. Philol. 1912, p. 272-278). — *Agricolae liber.* Ad fidem codicum edidit. Berolini, Calvary, 1889.

SCHÜTZ H., *Zu Tacitus Agricola* (Jahrb. f. klass. Philol. 123, 1881, p. 269-280) (de capp. 3, 9, 10, 11, 12, 13, 16, 19, 21, 22, 24, 25, 27, 28, 30, 31, 34, 35, 36, 37, 41, 42, 43, 44).

STUART D. R., *The Agricola.* With introduction and notes. New York. The Macmillan Company, 1909.

THIANCOURT C., *Sur un passage de l'Agricola* (Revue de philologie 13, 1889, p. 74-78) (de cap. 45).

ULBRICH H., *Der litterarische Streit über Tacitus' Agricola.* Progr. des Gymn. d. Benedictiner zu Melk. Wien, 1884.

URLICHS C. L., *Kritisches zu Tacitus* (Festgruss d. philol. Gesellschaft zu Wurzburg), 1868.

WEIDNER A., *Zu Tacitus' Agricola* (Philologus 41, 1882, p. 369-371) (de capp. 30, 31, 32, 36, 44).

WEX F. C., *Beiträge zur Krit. und Erkl. v. Tacitus' Agricola.* Progr. Schwerin, 1840. — *Emendantur et explicantur duo difficillimi loci ex Taciti Agricola*, Progr. Schwerin, 1841 (capp. 10 et 36). — *Prolegomenon in Tac. Agricolam*, Progr. Schwerin, 1845. — *Taciti Agricola* ad fidem codd. denuo collatorum recensuit F. C. WEX, Brunsvig, 1852.

Addendae sunt editiones Taciteorum operum saepius repetitae ab I. BEKKERO (Lipsiae, 1831), a F. RITTERO (Lipsiae, 1864),

a Carolo Halm (Lipsiae, Teubner) et a Carolo Nipperdey (Berolini, Weidmann) prolatae, et Orelliana vetus, quam denuo recensuit Georgius Andresen (Lipsiae, Reisland, 1880), et eae *Agricolae* editiones quas in lucem protulerunt I. I. Cornelissen (Lugduni Batav., E. I. Brill, 1881), Aem. Beurlier (Paris, Palmé 1882), R. Pichon (Paris, Colin, 1895), E. Iacob (Paris, Hachette, 1909).

Scripsi Mediol. Id. Nov. mcmxvi.

Carolus Pascal

CORNELII TACITI

DE VITA IULII AGRICOLAE

LIBER

LA R. ACCADEMIA DELLE SCIENZE

E L'OPERA DELLA

DITTA G. B. PARAVIA & C.

Classe di Scienze morali, storiche e filologiche. Adunanza del 10 Dicembre 1916. Presidenza del Socio Senatore LORENZO CAMERANO, *presidente dell'Accademia.*

Sono presenti i Soci: CHIRONI, Vicepresidente dell'Accademia, PIZZI, D'ERCOLE, BRONDI, SFORZA, EINAUDI, BAUDI DI VESME, PATETTA, VIDARI, PRATO, e STAMPINI, Segretario della Classe.

È scusata l'assenza dei Soci: S. E. BOSELLI, Direttore della Classe, MANNO, CARLE, S. E. RUFFINI, e SCHIAPARELLI.

Si legge e si approva l'atto verbale dell'adunanza precedente del 26 novembre u. s.

. . . .

Il Socio Segretario STAMPINI, ...
. . . . richiama l'attenzione dei Colleghi sui primi cinque volumetti, inviati in omaggio all'Accademia dalla Ditta editrice, del *Corpus scriptorum latinorum Paravianum moderante Carolo Pascal*, cioè i *Catulli carmina* per cura di Carlo PASCAL, la *Germania* di Tacito per cura di Cesare ANNIBALDI, il *De bello civili* di Cesare per cura di Domenico BASSI, i frammenti *De re publica* di Cicerone per cura di Carlo PASCAL e Giovanni GALBIATI, e l'*Octavius* di Minucio Felice per cura di Luigi VALMAGGI. Messi in rilievo i pregi intrinseci delle cinque pubblicazioni, il Socio STAMPINI aggiunge ritenersi in dovere di esprimere le più vive congratulazioni alla Ditta G. P. Paravia, la quale, nonostante le gravi difficoltà dell'ora presente, ha coraggiosamente affrontato, e seguiterà ad affrontare, non lievi spese per dotare l'Italia di una commendevole collezione di testi latini criticamente riveduti con criteri propri da filologi di riconosciuta competenza; collezione che, se, come giova sperare, sarà continuata così bene com'è cominciata sotto la strenua direzione del dottissimo professore di letteratura latina della R. Università di Pavia, Carlo PASCAL, varrà finalmente a fare scomparire un vuoto da lunga pezza deplorato nel nostro Paese, che per le edizioni di puro testo dei classici latini deve, pur troppo ancora, ricorrere agli stranieri. E poichè la Ditta Paravia

dà prova insigne di voler contribuire potentemente al sempre maggiore incremento degli studi latini nelle nostre scuole medie, il Socio STAMPINI, dopo aver ricordato com'egli abbia avuto occasione di segnalare, prima nella *Rivista di filologia e d'istruzione classica* e poi, pochi giorni addietro, nella *Gazzetta del Popolo*, l'opportunità di rifare il *Vocabolario universale latino-italiano* di Antonio BAZZARINI, pubblicato in Torino dai Cugini Pomba nel 1850, affinchè l'Italia possegga finalmente un suo lessico *scientifico* latino, degno di stare alla pari con l'ottava edizione dello *Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch* di Carlo Ernesto ed Enrico GEORGES, osserva che la Ditta Paravia renderebbe, dal canto suo, un grande servizio alle scuole classiche medie italiane, se procurasse il rifacimento del lessico *scolastico* compilato dal suo maestro e predecessore nell'Università e nell'Accademia, Tommaso VALLAURI, poichè, dati gli immensi progressi fatti dalla lessicografia latina negli ultimi decenni, il dizionario Vallauriano deve essere, non solo ritoccato, ma accresciuto e interamente rifuso in entrambe le sue parti.

Il Presidente CAMERANO si associa alle lodi tributate alla Ditta Paravia, della quale va eziandio segnalata la non piccola benemerenza acquistatasi nella produzione di ogni specie di materiale scientifico e dimostrativo per le nostre scuole, elementari, popolari e medie, secondando così gl'intendimenti e le istruzioni del Governo nella sostituzione, per tale riguardo, dell'opera delle nostre Case a quella delle Case straniere, dalle quali sinora eravamo quasi del tutto dipendenti.

Il Socio VIDARI elogia del pari la Ditta Paravia per la sua collezione — rappresentata oramai da non pochi volumi — dei classici della pedagogia italiana, e nota che, avendo l'Italia magnifiche tradizioni pedagogiche, è opera altamente meritoria e patriottica metterle in evidenza con una speciale collezione che degnamente le faccia apprezzare dagli studiosi italiani.

Il Vicepresidente CHIRONI, lieto di constatare che l'Accademia riconosca, con sì concorde consenso, ***le grandi benemerenze della Ditta Paravia, persuaso che questa, incoraggiata dall'autorevole approvazione del nostro consesso, raddoppierà la sua alacrità a tutto vantaggio dei buoni studi e a decoro dell'Italia, propone che la Classe accordi con un voto di plauso il suo patrocinio morale alla Ditta Paravia.***

La proposta del Vicepresidente CHIRONI è approvata alla unanimità.

. . . .

CORNELII TACITI

DE VITA IULII AGRICOLAE

LIBER

1. Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit: adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. At nunc narraturo mihi vitam defuncti hominis venia opus fuit, quam non petissem incusaturus: tam saeva et infesta virtutibus tempora.

2. Legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse. neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones etiam loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.

3. Nunc demum redit animus; et quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur adsumpserit, natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito extinguuntuur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris: subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur. Quid? si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt, pauci, ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media

vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum conposuisse. Hic interim liber, honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

4. Gnaeus Iulius Agricola, vetere et inlustri Foroiuliensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, quae equestris nobilitas est. Pater illi Iulius Graecinus senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque ipsis virtutibus iram Gai Caesaris meritus; namque Marcum Silanum accusare iussus et quia abnuerat, interfectus est. Mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis. In huius sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab inlecebris peccantium praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuit, locum graeca comitate et provinciali parsimonia mixtum ac bene conpositum. Memoria teneo solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset. Scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute adpetebat. Mox mitigavit ratio et aetas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

5. Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, adprobavit, electus, quem contubernio aestimaret. Nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et conmeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil adpetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare simulque et anxius et intentus agere. Non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. Trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum et recuperatae provinciae gloria in ducem cessit, artem et usum et stimulos addidere iuveni, intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

6. Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi iunxit; idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit. Vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est.

Sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit; quorum neutro conruptus est, quamquam et provincia dives ac parata peccantibus et proconsul in omnem aviditatem pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia in subsidium

simul ac solatium; nam filium ante sublatum brevi amisit. Mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae tenor et silentium; nec enim iurisdictio obvenerat. Ludos et inania honoris medio rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria ita famae propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium res publica quam Neronis sensisset.

7. Sequens annus gravi vulnere animum domumque eius adflixit. Nam classis Othoniana licenter vaga dum Intimilium (Liguriae pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit, praediaque ipsa et magnam patrimonii partem diripuit, quae causa caedis fuerat. Igitur ad sollemnia pietatis profectus Agricola, nuntio adfectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est. Initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, iuvene admodum Domitiano et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad dilectus agendos Agricolam integreque ac strenue versatum vicensimae legioni, tarde ad sacramentum transgressae, praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio. Ita successor simul et ultor electus, rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos quam fecisse.

8. Praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus placidius, quam feroci provincia dignum est. Temperavit Agricola vim suam ardoremque compescuit, ne incresceret, peritus obsequi eruditusque utilia honestis miscere.

Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum; sed primo Cerialis labores modo et discrimina, mox et gloriam communicabat: saepe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit. Nec Agricola unquam in suam famam gestis exultavit; ad auctorem ac ducem ut minister fortunam referebat. Ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam, nec extra gloriam erat.

9. Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios adscivit, ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae inprimis dignitatis administratione ac spe consulatus, cui destinarat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile iusteque agebat. Iam vero tempora curarum remissionumque divisa: ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus et saepius misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona; tristitiam et adrogantiam et avaritiam exuerat. Nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui saepe

etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit, procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores: et vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur. Minus triennium in ea legatione detentus, ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc ipsius sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama, aliquando et elegit. Consul egregiae tum spei filiam iuveni mihi despondit ac post consulatum conlocavit, et statim Britanniae praepositus est, adiecto pontificatus sacerdotio.

10. Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in conparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est: ita quae priores nondum conperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia insularum, quas Romana notitia conplectitur, maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur. Septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores, oblongae scutulae vel bipenni adsimulavere. Et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est transgressa, sed inmensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam adfirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta est et Thule, quia

hactenus iussum et hiems adpetebat. Sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem perinde adtolli, credo, quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius inpellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi rettulere. Unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus adcrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

11. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum conpertum. Habitus corporum varii, atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem adseverant. Silurum colorati vultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania Hiberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt. Proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis usu, seu procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum dedit. In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione; sermo haud multum diversus; in deposcendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido. Plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. Quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent quales Galli fuerunt.

12. In pedite robur; quaedam nationes et curru praeliantur. Honestior auriga, clientes propugnant. Olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur, nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita singuli pugnant, universi vincuntur. Caelum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram, nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exurgere, sed transire adfirmant. Scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque caelum et sidera nox cadit. Solum praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum; tarde mitescunt, cito proveniunt; eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum caelique. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur: nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia prout expulsa sint, conligi. Ego facilius crediderim, naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

13. Ipsi Britanni dilectum ac tributa et iniuncta imperii munia inpigre obeunt, si iniuriae absint; has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum Divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus,

quamquam prospera pugna terruerit incolas ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia et in rempublicam versa principum arma; ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. Consilium id Divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum. Agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio mobili poenitentiae, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor iterati operis, transvectis legionibus auxiliisque et adsumpto in partem rerum Vespasiano: quod initium venturae mox fortunae fuit: domitae gentes, capti reges et monstratus fatis Vespasianus.

14. Consularium primus Aulus Plautius praepositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius: redactaque paulatim in formam provinciae proxima pars Britanniae; addita insuper veteranorum colonia. Quaedam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit), vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum extinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus firmatisque praesidiis: quorum fiducia Monam insulam ut vires rebellibus ministrantem adgressus, terga occasioni patefecit.

15. Namque absentia legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et

interpretando accendere: nihil profici patientia, nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos inponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret; aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam. Alterius manus centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere. Nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. In proelio fortiorem esse, qui spoliet; nunc ab ignavis plerumque et inbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi dilectus, tamquam mori tantum pro patria nescientibus: quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? Sic Germanias excussisse iugum, et flumine, non Oceano defendi. Sibi patriam, coniuges, parentes, illis avaritiam et luxuriam causas belli esse. Recessuros, ut Divus Iulius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur. Neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent; plus impetus felicibus, maiorem constantiam penes miseros esse. Iam Britannorum etiam Deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent: iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare; porro in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi, quam audere.

16. His atque talibus in vicem instincti, Boadicca, generis regii femina, duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum; ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis ipsam coloniam invasere, ut sedem servitutis: nec ullum in barbaris ingeniis saevitiae genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paulinus cognito provinciae motu

propere subvenisset, amissa Britannia foret; quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et proprius ex legato timor agitabat, ne quamquam egregius cetera adroganter in deditos et, ut suae cuiusque iniuriae ultor, durius consuleret. Missus igitur Petronius Turpilianus, tamquam exorabilior et delictis hostium novus eoque paenitentiae mitior, conpositis prioribus nihil ultra ausus, Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius, segnior et nullis castrorum experimentis, comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere iam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus, et interventus civilium armorum praebuit iustam segnitiae excusationem; sed discordia laboratum, cum adsuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira indecorus atque humilis, precario mox praefuit; ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem esset, seditio sine sanguine stetit. Nec Vettius Bolanus manentibus adhuc civilibus bellis agitavit Britanniam disciplina: eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum; nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco auctoritatis.

17. Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam recuperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes. Et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, adgressus. Multa proelia et aliquando non incruenta; magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. Et Cerialis quidem alterius successoris curam famam-

que obruisset; subiit sustinuitque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat; validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.

18. Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam aestate transgressus Agricola invenit, cum et milites velut omissa expeditione ad securitatem, et hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas haud multo ante adventum eius alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat, eoque initio erecta provincia; et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum ac recentis legati animum opperiri; cum Agricola, quamquam transvecta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit; contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. Caesaque prope universa gente, non ignarus instandum famae ac, prout prima cessissent, terrorem ceteris fore, Monam insulam, a cuius possessione revocatum Paulinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in subitis consiliis, naves deerant: ratio et constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente inmisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare expectabant, nihil arduum aut

invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petita pace ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola, quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem et officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est; sed ipsa dissimulatione famae famam auxit, aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset.

19. Ceterum animorum provinciae prudens simulque doctus per aliena experimenta, parum profici armis, si iniuriae sequerentur, causas bellorum statuit excidere. A se suisque orsus primum domum suam coërcuit, quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere. Nihil per libertos servosque publicae rei; non studiis privatis, nec ex conmendatione aut precibus centurionem militesve ascire, sed optimum quemque fidissimum putare; omnia scire, non omnia exsequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare, nec poena semper, sed saepius paenitentia contentus esse; officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare, cum peccassent. Frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire, circumcisis quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Namque per ludibrium adsidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac luere pretio cogebantur, devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates, proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat paucis lucrosum fieret.

20. Haec primo statim anno conprimendo egregiam famam paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur. Sed ubi aestas advenit, contracto exercitu multus in agmine, laudare modestiam, disiectos coercere, loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetemptare, et nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur; atque ubi satis terruerat, parcendo rursus invitamenta pacis ostentare. Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae, tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars pariter inlacessita transierit.

21. Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. Namque ut homines dispersi ac rudes eoque in bella faciles, quieti et otio per voluptates adsuescerent, hortari privatim, adiuvare publice, ut templa, fora, domos extruerent, laudando promptos et castigando segnes; ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honor et frequens toga; paulatimque descensum ad delenimenta vitiorum, porticus et balinea et conviviorum elegantiam. Idque apud inperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.

22. Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Tanaum (aestuario nomen est) nationibus: qua formidine territi hostes quamquam

conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi; ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse; nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum; crebrae eruptiones: nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, inritis hostibus eoque desperantibus, quia, soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare, tum aestate atque hieme iuxta pellebantur. Nec Agricola umquam per alios gesta avidus intercepit; seu centurio seu praefectus inconruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur: ut erat comis bonis, ita adversus malos iniucundus. Ceterum ex iracundia nihil supererat secretum, ut silentium eius non timeres. Honestius putabat offendere quam odisse.

23. Quarta aestas obtinendis quae percurrerat insumpta; ac si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. Namque Clota et Bodotria diversi maris aestibus per inmensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur; quod tum praesidiis firmabatur, atque omnis propior sinus tenebatur, submotis velut in aliam insulam hostibus.

24. Quinto expeditionum anno nave prima transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit; eamque partem Britanniae quae Hiberniam aspicit copiis instruxit, in spem magis quam ob formidinem, si quidem Hibernia

medio inter Britanniam atque Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem magnis in vicem usibus miscuerit. Spatium eius, si Britanniae conparetur, angustius, nostri maris insulas superat. Solum caelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differunt in melius. Aditus portusque per conmercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat ac specie amicitiae in occasionem retinebat. Saepe ex eo audivi legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse; idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma et velut e conspectu libertas tolleretur.

25. Ceterum aestate, qua sextum officii annum incohabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium et infesta hostibus exercitus itinera timebantur, portus classe exploravit; quae ab Agricola primum adsumpta in partem virium sequebatur egregia specie, cum simul terra, simul mari bellum inpelleretur, ac saepe isdem castris pedes equesque et nauticus miles mixti copiis et laetitia sua quisque facta, suos casus adtollerent, ac modo silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia conpararentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur. Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi magno paratu, maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnare ultro castella adorti, metum ut provo-

cantes addiderant; regrediendumque citra Bodotriam et excedendum potius quam pellerentur ignavi specie prudentium admonebant; cum interim cognoscit hostes pluribus agminibus inrupturos; ac ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

26. Quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem ut maxime invalidam nocte adgressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus inrupere. Iamque in ipsis castris pugnabatur, cum Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque adsultare tergis pugnantium iubet, mox ab universis adici clamorem; et propinqua luce fulsere signa. Ita ancipiti malo territi Britanni; et Romanis rediit animus ac securi pro salute de gloria certabant. Ultro quin etiam erupere, et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes, utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. Quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.

27. Cuius conscientia ac fama ferox exercitus nihil virtuti suae invium et penetrandam Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu fremebant; atque illi modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui erant. Iniquissima haec bellorum condicio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni inputantur. At Britanni non virtute se victos, sed occasione et arte ducis rati nihil ex adrogantia remittere, quo-

minus iuventutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. Atque ita inritatis utrimque animis discessum.

28. Eadem aestate cohors Usiporum, per Germanias conscripta et in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam inmixti manipulis exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere; et uno remigante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur. Mox † ad aquam atque ut illa raptis se †, cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. Atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suebis, mox a Frisiis intercepti sunt: ac fuere quos per conmercia venumdatos et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos indicium tanti casus inlustravit.

29. Initio aestatis Agricola domestico vulnere ictus: anno ante natum filium amisit. Quem casum neque ut plerique fortium virorum ambitiose, neque per lamenta rursus ac maerorem muliebriter tulit: et in luctu bellum inter remedia erat. Igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Graupium pervenit, quem

iam hostis insederat. Nam Britanni nihil fracti pugnae prioris eventu, et ultionem aut servitium expectantes, tandemque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. Iamque super triginta milia armatorum aspiciebantur et adhuc adfluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello et sua quisque decora gestantes, cum inter plures duces virtute et genere praestans nomine Calgacus apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum locutus fertur:

30. 'Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore; nam et universi colitis et servitutis expertes et nullae ultra terrae ac ne mare quidem securum inminente nobis classe Romana. Ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae eoque in ipsis penetralibus siti nec ulla servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit; nunc terminus Britanniae patet, atque omne ignotum pro magnifico est: sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus ac saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugias. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur: si locuples hostis est, avari,

si pauper, ambitiosi, quos non Oriens non Occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari adfectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere, falsis nominibus imperium, atque, ubi solitudinem faciunt, pacem appellant'.

31. 'Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit. Hi per dilectus alibi servituri, auferuntur: coniuges sororesque etiam si hostilem libidinem effugerunt, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunaeque in tributum, ager atque annus in frumentum, corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera et contumelias conteruntur. Nata servituti mancipia semel veneunt atque ultro a dominis aluntur: Britannia servitutem suam cotidie emit, cotidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur; neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus; et longiquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus quam quibus gloria carissima est. Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri et indomiti et in libertatem non in paenitentiam bellaturi, primo statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit'.

32. 'An eandem Romanis in bello virtutem quam in pace lasciviam adesse creditis? nostris illi dissen-

sionibus ac discordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent: nisi si Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos, fide et adfectu teneri putatis. Metus ac terror sunt infirma vincla caritatis; quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt: nullae Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt; aut nulla plerisque patria aut alia est. Paucos numero, trepidos ignorantia, caelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodam modo ac vinctos di nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus. Agnoscent Britanni suam causam, recordabuntur Galli priorem libertatem, deserent illos ceteri Germani tamquam nuper Usipi reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis; vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste imperantes aegra municipia et discordantia. Hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae, quas in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est. Proinde ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate'.

33. Excepere orationem alacres, ut barbaris moris, fremitu cantuque et clamoribus dissonis. Iamque agmina et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu: simul instruebatur acies, cum Agricola quamquam laetum et vix munimentis coercitum mili-

tem accendendum adhuc ratus, ita disseruit: 'Septimus annus est, conmilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque opera nostra Britanniam vicistis. Tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostes seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum neque vos ducis paenituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus: inventa Britannia et subacta. Equidem saepe in agmine, cum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam: 'quando dabitur hostis? quando animus?' — Veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, evasisse silvas, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima quae hodie prosperrima sunt; neque enim nobis aut locorum eadem notitia aut conmeatuum eadem abundantia, sed manus et arma et in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior, et incolumitas ad decus eodem loco sita sunt; nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse'.

34. 'Si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Hi sunt, quos proximo anno unam legionem furto noctis adgressos clamore debellastis; hi ceterorum Britannorum fugacissimi ideoque tam diu superstites.

Quo modo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pellebantur, sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt; novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, inponite quinquaginta annis magnum diem, adprobate reipublicae numquam exercitui inputari potuisse aut moras belli aut causas rebellandi'.

35. Et adloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo milium erant, mediam aciem firmarent, equitum tria milia cornibus adfunderentur. Legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellanti, et auxilium si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat ita, ut primum agmen in aequo, ceteri per adclive iugum conexi velut insurgerent; media campi covinnarius eques strepitu ac discursu conplebat. Tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne in frontem simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem et firmus adversis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit.

36. Ac primo congressu eminus certabatur simulque constantia, simul arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus caetris missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere, donec Agricola quattuor Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile, parva scuta et enormes gladios gerentibus; nam Britannorum gladii sine mucrone conplexum armorum et in arto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora foedare et stratis qui in aequo adstiterant, erigere in colles aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione et impetu conisae proximos quosque caedere; ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur. Interim equitum turmae ut fugere covinnarii, peditum se proelio miscuere. Et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant; minimeque equestris ei iam pugnae facies erat, cum aegre ac diu instantes simul equorum corporibus inpellerentur; ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.

37. Et Britanni qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant, ni id ipsum veritus Agricola quattuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius adcucurrerant tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum, trans-

vectaeque praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere, atque eosdem oblatis aliis trucidare; iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre. Passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus; et aliquando etiam victis ira virtusque. Postquam silvis adpropinquaverunt, iam primos sequentium incautos conlecti et locorum gnari circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo, et sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum ubi conpositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes rari et vitabundi in vicem longinqua atque avia petiere. Finis sequendi nox et satietas fuit. Caesa hostium ad decem milia, nostrorum trecenti sexaginta cecidere, in quis Aulus Atticus praefectus cohortis, iuvenili ardore et ferocia equi hostibus inlatus.

38. Et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus: Britanni palantes, mixto virorum mulierumque ploratu trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere, eligere latebras et statim relinquere; miscere in vicem consilia aliqua, dein separare; aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari; satisque constabat saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victoriae

latius aperuit: vastum ubique silentium, deserti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. Quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostes conpertum (et exacta iam aestate spargi bellum nequibat), in finis Borestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, praefecto classis circumvehi Britanniam praecipit. Datae ad id vires, et praecesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trucculensem portum tenuit, unde proximo anno Britanniae litore lecto omni reditura erat.

39. Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum iactantia epistulis Agricolae auctum, ut Domitiano moris erat, fronte laetus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per conmercia, quorum habitus et crinis in captivorum speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam tot milibus hostium caesis ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principem adtolli: frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet; cetera utcumque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in praesentia statuit reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret: nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat.

40. Igitur triumphalia ornamenta et inlustris statuae honorem et quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet addique insuper opinionem, Suriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam. Credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam codicillos, quibus ei Suria dabatur, tulisse, cum eo praecepto ut, si in Britannia foret, traderentur; eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne appellato quidem eo ad Domitianum remeasse, sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum ac conpositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio noctu in urbem, noctu in Palatium ita ut praeceptum erat, venit; exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium inmixtus est. Ceterum uti militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus hausit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus, adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso aspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur.

41. Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. Causa periculi non crimen ullum aut querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et gloria viri ac pessimum inimicorum genus, laudantes. Et ea insecuta sunt rei publicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pan-

nonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti; nec iam de limite imperii et ripa sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. Ita cum damna damnis continuarentur atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola, conparantibus cunctis vigorem et constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine eorum. Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem exstimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.

42. Aderat iam annus, quo proconsulatum Africae et Asiae sortiretur, et occiso Civica nuper nec Agricolae consilium deerat nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum principis periti, qui iturusne esset in provinciam ultro Agricolam interrogarent. Ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in adprobanda excusatione offerre, postremo non iam obscuri suadentes simul terrentesque pertraxere ad Domitianum. Qui paratus simulatione in adrogantiam conpositus, et audiit preces excusantis et, cum adnuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia. Salarium tamen proconsulare solitum offerri et quibusdam a se ipso concessum Agricolae non dedit, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne, quod vetuerat, videretur emisse. Proprium humani ingenii est odisse quem laeseris: Domitiani vero natura praeceps in iram, et quo obscurior, eo inrevocabilior, modera-

tione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur, quia non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris est inlicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis escendere, quo plerique per abrupta, sed in nullum rei publicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.

43. Finis vitae eius nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. Vulgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt; nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est aut statim oblitus. Augebat miserationem constans rumor veneno interceptum: nobis nihil conperti adfirmare ausim. Ceterum per omnem valetudinem eius crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud sive inquisitio erat. Supremo quidem die momenta ipsa deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente sic adcelerari quae tristis audiret. Speciem tamen doloris habitu vultuque prae se tulit, securus iam odii et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. Satis constabat lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum velut honore iudicioque. Tam caeca et conrupta mens adsiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem nisi malum principem.

44. Natus erat Agricola Gaio Caesare iterum consule idibus Iuniis: excessit tertio et quinquagesimo anno,

decimo Kalendas septembris Collega Priscoque consulibus. Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit; nihil impetus in vultu: gratia oris supererat. Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam longissimum aevum peregit. Quippe et vera bona quae in virtutibus sita sunt, inpleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud adstruere fortuna poterat? opibus nimiis non gaudebat, speciosae non contigerant. Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis adfinitatibus et amicitiis futura effugisse. Nam, sicuti durare in hanc beatissimi saeculi lucem ac principem Traianum videre, augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solacium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit.

45. Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Mettius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat, et Massa Baebius etiam tum reus erat: mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus; nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos iussitque scelera, non spectavit: praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et aspici, cum

suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor quo se contra pudorem muniebat.

Tu vero felix Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis. Ut perhibent qui interfuere novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiaeque eius praeter acerbitatem parentis erepti auget maestitiam, quod adsidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu conplexuque non contigit. Excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus, nobis tam longae absentiae condicione ante quadriennium amissus est. Omnia sine dubio, optime parentum, adsidente amantissima uxore superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrimis conploratus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui.

46. Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque domum tuam ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. Admiratione te potius et inmortalibus laudibus et, si natura suppeditet, similitudine colamus: is verus honor, ea coniunctissimi cuiusque pietas. Id filiae quoque uxorique praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius secum revolvant, formamque ac figuram animi magis quam corporis conplectantur, non quia intercedendum putem imaginibus, quae marmore aut aere finguntur, sed, ut vultus hominum,

ita simulacra vultus inbecilla ac mortalia sunt, forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Quicquid ex Agricola amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, in fama rerum: nam multos veterum velut inglorios et ignobilis oblivio obruet, Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

APPENDIX CRITICA

CODICUM NOTAE.

E = Aesinus.
Em = Aesini *marginalis aut suprascripta lectio.*
A = Vaticanus 3429.
Am = Vatic. 3429 *marg. aut supr. lectio.*
B = Vaticanus 4498.
Bm = Vatic. 4498 *marg. aut supr. lectio*
T = Toletanus (Bibl. Capit. 49, 2).
Tm = Tolet. *marg. aut supr. lectio.*

Numeri lectores ad singula capita et uniuscuiusque capitis lineolas mittunt.

1. 4 *magna* EAB; *mala* T, quod Gudeman falsae conpendii solutioni tribuit.

3. 15 *ut ita* Rhenanus, *et uti* Codd. — 18 *exactae* EAB: *exaptae* T. — 20 *servitutis* ET; *senectutis* AB.

4. 3 *Caesaris* B. — 4 *Pater Iuli* (*Iulii* A) EABT; *pater illi* Woelfflin. — 7 *sillanum* A, *sullanum* B, *syllanu* T. — 11 *eum*] *tamen* B. — 16 *in* om. B. — 17 *acrius*] *ac iuris* coniecit Pichena, fortasse recte. — 22-23 *aetas retinuit* B.

5. 3 *aestimaret*] *adsumeret* coniecit Cornelissen. — 6 *inscitiam*] *iustitiam* B. — 10 *excitatior* Buchner. — 12 *intersepti* codd., emendavit Puteolanus.

6. 1 *degressus* EAT; *digressus* AmB. — 8 et 11 *proconsulem.. proconsul* EAT; *procos* B; *proconsule... proconsule* Halm et alii. — 13 *auctus... filia* EmAB; *nactus... filiam* ET. — 14 *ac solacium* (*solatium* E) ET; *et solacium* AB. — 18 *tenor*] *certior* Codd., emendavit Rhenanus. — 20 *medio rationis* (*luxuriae* B) EABT, *modo rationis* Puteolanus, *media rationis* Peerlkamp.

7. 3 *Intimilium* Mommsen (*C. I. L.* V, 2, 900), *intemplo* Codd. — 12 *delectus* Codd.; *dilectus* Rigler; in c. 13 *delectum* marg. *dil.*, in c. 14 *dilectus* (corr. in *de...* m3); in c. 31 *dilectus* E.

8. 1 *Volanus* EAT; *Bolanus* B et item in c. 16. — 6 et 8 *caerialem... caerialis* EAT; *cerialem... cerialis* B.

9. 12-13 *nullam ...persona* || (*m* in fine expunxit E) ET; *nullam... personam* AB; *nulla... persona* Rhenanus. — 15 *deminuit* ET; *diminuit* AB. — 18 *ostentandam virtute* || (*m* erasum E) Codd.; *ostentanda virtute* Rhenanus. — 24 *Britanniam*] in foliis noviciis *Brittanniam*, 12 *Brittannia*, 13 *Brittanni*; in foliis veteribus 13 *britanniam*, 14 *brittanniae*, 21 *brittannorum*, sed expunctum *t* prius et suprascriptum alterum *n*, et ita semper E. — 26 *eligit* (*e* erasum Em) ET; *elegit* AB. — *graeciae* EAT; *grate* AmB: *egregiae* Puteolanus.

10. 4 *itaque* ET; *ita quae* AB. — 13 *assimilavere* EAT; *adsimilavere* B; *adsimulavere* Puteolanus. — *Calydoniam* et ita semper tam in foliis noviciis quam in veteribus E; *Caled.* in c. 10, 25, 27, *Calid.* 31 A; *Caled.* in c. 25, *Calid.* 27, *Caledomam* c. 10, 31 B. — 13-14 *unde et in universum fama est sed* E; *unde et universum fama est transgressis: sed* A, *unde et universis fama* Am; *unde et in universum fama est transgressis: sed* B; *unde et universis fama sed* T; *unde et in universum fama est transgressa* Rhenanus. — 15 *inorme* (cum signo supr. dubiae lectionis E) EAB; *enorme* T. — 19 *Orchadas* ET; *Orcadas* AB. — 20 *Thyle* EA; *Tyle* B; *Thile* T; *Thule* Ernesti. — 21 *hiems* in foliis noviciis, *hiemps* 21 c. 22 in fol. vet. E; 10, 21 *hyemps*, 22 *iemps* T. — 23 *proinde* codd.; *perinde* Grotius. — 27 *dominari* Puteolanus; *dnāri* ET; *dānari* AB; *dñari* Am.

11. 7 *hispaniam* ET; *hyspaniam* AB; *Hispania* Muretus. — 9 *usu* Codd.; *vi* Rhenanus. — 13 *persuasione* Codd., *persuasionem* Ritter. — 18 *bellis* ET; *in bellis* AB.

12. 4 *trahuntur* Codd.; *distrahuntur* Heinsius. — 6 *tribusque* EAT; *tribusve* B. — 14-15 *nec exurgere* B. — 19 *patiens frugum pecudumque* (marg. *fecundum*) ET; *patiens frugum fecundum* AB.

13. 2 *munia* ET; *munera* AB. — Hinc vetus codicis Aesini scriptura incipit. — 11 *praecipue* (in marg. *praeceptum*) EA; *praeceptum* B; *praecipu* T. — 13 *velox ingenii, mobilis paenitentiae* B; *velox ingenio, mobilis paenitentia* Puteolanus. — 14-15 *auctoritate operis* EAB; *auctor operis* T, Puteolanus. Conplures docti homines Codicum lectionem emendare conati sunt: Wex legendum putavit *auctor iterati operis*, Ritter *auctor patrati op.*, Urlichs *auctor intacti op.*, Andresen *auctor statim operis*, Madvig *auctor iterandi operis*, Froehlich *auctor tandem operis*, Fossataro *auctor itaque operis*. Wexii emendationem accepi. — 17 *Domitiae gentis gentes* corr. ex *gentis* E) EAB: *domitae gentes* T, Puteolanus.

14. 1 *Plautius* ET; *Plantius* AB. — 7-8 *vetere... ut haberet* Rhenanus, *ut vetere... haberet* Codd. — 8 *reges* Rhenanus; *regis* Codd.

15. 4 *imperantur* B, an ex *imperarentur?* — 8 *manus* EA; *manum* cett. — 9 *centurionis* codd., emendavit Rhenanus. — 21 *impetus felicibus* (*faelicibus* T) ET; *impetus* AB, et ita nonnulli editores protulerunt (*impetus integris* coniecerat Acidalius).

16. 1 *uo adicca* (in marg. *bouid icta*) ET; *Voadicca* A; *uoaduca* B. — 6 *in barbaris ingeniis* ET; *in barbaris* (sine *ingeniis*) AB. — 11 *proprius* ET; *propius* AB confusione admodum frequenti. — *nequaquam* (*nequam* in marg. EA) Codd.; *ne quamquam* Walch. — 12 *eiusque* Codd.; *cuiusque* Wex. — 17 *sed* (expunctum in E) *trebellius* ET; *Trebellius* AB. — 24 *indecorus* (*us* scriptum in nexu videtur esse *is*) E; *indecoris* ABT. — 25 *praefuit*] *fuit* B. — *facta exercitus licentia ducis salute* (expunta, quorum loco in columellae fine habetur - *pacti exercitus licentiam, dux salutem* -) E; *facta exercitus licentia, ducis salute* Am; *pacti exercitus licentiam dux salutem* (*salute* B) ABT (*praefuit et seditio sine sanguine stetit* Tm.). Lectionem librorum ABET accepimus, nisi quod pro *et seditio* praeeunte Halmio scripsimus *esset, seditio.*

17. 4 et 8 *caerealis... cerealis* T; *Caerealis... Caerealis* AT; *cerealis... cerealis* B. — 4 *bregantum* EBT; *Bregantum* corr. ex *Bregantium* A. — 9 *obruisset; subiit sustinuitque* ET; *obruisset; sustinuitque* AB; post *obruisset* fuerunt qui lacunam statuerent, e quibus Halm olim dedit: *subiit sustinuitque.* (*subiit* in E suprascriptum).

18. 4 *occansionem* ET; *occasionem* AB. — *uterentur* EAT; *verterentur* B — 15 *inaecum* ET; *in aequum* AB. — *digredi* AB; *degredi* ET, ut Acidalius emendaverat. — 20 *cuius* Codd.; *a cuius* editio Bipontina. — 22 *subitis* ET; *dubiis* AB, quod in *subitis* em. Gronovius. — 24 *transvex̄* (sed puncto posito sub littera *s* expunctum indicatur) E; *tranvex̄* T; *tranvex̄* A; *tranare extra* B. — 25 *patrius* EB Puteolanus; *p̃rius* A; *prius* B; *proprius* Wex.

19. 3 *iniuriae* ET, Puteolanus; *incuriae* AB. — 6 *libertos* ET, Puteolanus; *liberos* AB. — 7 *privatis* ET; *privatius* B; *privatis* in *privatius* mutatum A. — 8 *milites nescire* (*ne* supr. E) Codd.; *miliuesve ascire* Wex. — 15 *auctionem* EBmT; *exactionem* EmABTm. — *aequalitate* (in E praecedit *m* expunctum) ET, Puteolanus; *inaequalitate* AB. — *circumcisisq.* EBT; *circumcisis q̄* A. — 18 *ac luere* ET, Wex; *ac ludere* (signo corrupt. in marg. posito A) AB. — 19 *divortia* Codd., emendavit Lipsius.

20. 9 *irritamenta* (ex *inr.* E) EBT; *incitamenta* ex *inr.* corrept. A; *invitamenta* Acidalius. — 12 *et tanta* Codd., *tanta* Rhenanus. — 14 *pariter* addidit Weissenborn (*ita* Ernesti; *perinde* Ritter; *tam* Urlichs).

21. 1 *adsumpta* Codd.; *absumpta* Rhenanus. — 2 *in bello* Codd.; *in bella* Bosius. — 3 *quieti in otio* (marg. *et otio*) E; *quieti et otio* (*ocio* B) AB; *qui et in otio* T. — 5 *castigando* ET; *et castigando* AB. — 11 *discessum* Codd.; *descensum* Pichena. — 12 *delenimenta* ET; *delinimenta* A; *deliniamenta* B.

22. 2 *taum* et *taus sive tanaus* Am; *Tanaum* cett.; (*tanaum* ET, *taum* ET in marg.) *Tavam* Nipperdey. — 9 *aut fuga* B. — *crebrae eruptiones* post *hiems* transposuit Halm. — 15 *avidus*] *lividus* Haupt. — 18 *ut erat*] *et erat ut* Henrichsen.

23. 1 *percurrerat* B. — 3 *gloria* omisit B.

24. 12 *differt* Codd.; *differunt* Rhenanus. — *in melius* delevit Wex. — 12 *per* EA; *et* B.

25. 2 *uo dotriam* in marg. *bodot'am* ET; *Bodotriam* AB. — 4 *hostilis* (in marg. *hostili exercitu* E) Codd.; *hostibus* Bekker. — *timebantur* ET, Puteolanus; *timebant* AB. — 7 *impelliiur* Codd.; *impelleretur* Rhenanus. — 17 *magno paratu* ET; *paratu magno* AB. — 18 *oppugnare* ex *oppugnasse* E (sic etiam emendaverat Rhenanus); *oppugnasse* ABT. — 20 *excedendum* EAB; *cedendum* T.

26. 10 *et nonanis* (supra scriptum *rom* et expunctum *non* m. recentiore E) ET; *et Romanis* AB. — 13 *intulisse* (corr. ex *ut tulisse* E) Codd.; *ut tulisse* Puteolanus.

27. 8 *se victos* ET; omiserunt AB (eadem per coniecturam addiderat Brotier).

28. 4 *in mixtis* (supr. *s* in textu et in marg *immixtis* E) Codd.; *immixti* Puteolanus. — 7 *remigante* Codd.; *remigrante* Puteolanus, *remigium regente* Haase; alia alii conati sunt — 8 *praevehebantur* (in marg. *praebebantur* E, *prebe* A) EAB; *prebebant* in marg. *preveche* T. — 9 Locum insanabilem inter cruces clausimus: *ad aquandum atque utilia raptum egressi et* Halm; *ad aquam atque utensilia egressi et* Nipperdey; cetera virorum doctorum conamina omittimus.

29. 9 *Granpiam* A, sed m. 1 supr. *u*: *Graupium* cett.; *Grampium* Puteolanus. — 13 *civitatium* EB (ita B etiam supra 27, 12); *civitatum* A.

30. 4 *universi colitis et servitutis* ET; *colitis et* omiserunt AB.— 12 *nec ulla* ET; *nec* AB. — 15 *defendit* EAB; *defendi* T. — 16 *omne* om. T. — 18 *ac saxa* ET; *et saxa* AB. — 19 *effugias* ET; *effugeris* AB. — 21 *terrae*, supr. *m* E; *terram* cett., quod in *terrae* emendavit Rhenanus, in *terrae iam* Halm.

31. 4 *effugerunt* ET, *effugiant* AB. — 5-6 *ager atque* ET, quod olim coniecerat Jacob, *aggerat* AB. — 8 *conterunt* Codd.; *conteruntur* Jacob et Froehlich. — 10 *cotidie* ET; *quottidie* AB. — 19 *clarissima* B. — 23 *laturi* Codd.; *bellaturi* Wölfflin, qui perperam pro verbis *in paenitentiam* posuit *in patientiam*.

32. 8 *commendent* Codd.; *commodent* Puteolanus. — 9 *metus ac terror* EAB; *terror ac metus* T. — 10 *sunt*] *est* Codd.; em. Beroaldus. — 13 *exprobaturi* E. — 15 *circum trepidos* Codd.; *circum* delevit Heumann. — 17 *dii* EAB; *dij* T. — 22 *tam deserent... quam* ET, *deserent... tamquam* EmAB. — 23 *nec quicquam* ET, Puteolanus; *nequicquam* A, *nequaquam* B. — 25 *aegra municipia* ETB, *taetra mancipia* EmTmA.

33. 2 *fremitu cantuque* ET; *cantu fremituque* AB. — 5 *monitis* EAT; *munimentis* EmAmB. — 6 *Octavus* Codd.; *septimus* Acidalius. — 18 *animus* E cum cett.; Rhenanus mutavit in *acies; quando animus?* idest quando fiet facultas *a n i m o u t e n d i* (sc. virtute et fortitudine) adversus hostes? — 20 *omnia quae* ET; *omniaque* AB. — 21 *evasisse silvas* ET; *silvas evasisse* AB. — 23 *item* Codd.; *ita* Rhenanus.

34. 8 *quoque* EABT; *quodque* Am. — 10-11 *ignavorum dementium* (in marg. *et metuentium*) E; *ignavorum et metuentium* AB; *ignavorum dementium et metuentium* T. — 13 *corpora*] *torpor* Ritter. — 17 *inputari* E; *imputare* AB; *imputari* T, Puteolanus.

35. 8 *bellandi* Codd.; *bellanti* Rhenanus. — 11 *agminae quo* E; *agmine quo* ABT. — *convexi* Codd.; *connexi* Puteolanus. — 14 *ne* Froehlich, *ne simul* Codd.

36. 5 *Agricola quattuor* ET; *Agricola* AB. — *vatavorum*, in marg. *batavorum* E; *vatavorum* sed supr. *b* A; *Batavorum* B. — 7 *vetustate nnliae* E; *vetustate militiae* ABT. — 10 *arto* Fr. Medicis: *aperto* Codd. — 11 *vatabi* ET; *vatavi* A; *Batavi* B. — 12 *foedare et tratis*, in suprema columellae parte *foede recti trates' vel traces* E; *foedare et tratis* et in marg. *foede recti* A (*faedare* B). *Fodere* pro *foedare* coniecit Gesner, *stratis* pro *tratis* emendavit Ernesti. — 17 *ut* addidit Doederlein (*ubi* Wex). — 20 *minimeque equestres* (supr. *i* extremo *e* vocis *equestres*) *ea* (in marg. *ei*) *enim pugnae* E: *minimeque equestres: ea* (supr. *i*) *enim pugnae* A; *minimeque equestres, ea* (supr. *i*) *enim pugnae* B, *minimeque equestres* (supr. *i* extremo *e*) *ea* . *n*. *pugnae* T. — 21 *aegra diu aut stante* E (*egra* ceteri codices): *aegre ac diu instantes* Nipperdey, qui verbum *instantes* a Schoemanno accepit. Permulti alii in diversa abierunt.

37. 12 *oblatis* ET, Rhenanus; *ablatis* AB. — 18 *iam*] *nam* ET; *ntem* et in marg. corruptelae signum A; *item* B; *iterum* Dronke. — 19 *ignari* Codd.; *gnari* Dronke. — 23 *equite persultari* EAT; *equites perlustrari* B; *equitem* Urlichs, *persultare* Rhenanus. — 25 *versi* ET, Puteolanus; *versis* AB.

38. 2 *Britanni* ET, Puteolanus; *Britannique* AB. — *mixto* ET; *mixtoque* AB. — 3 *uocare* EAB; *notare* T. — 10 *deserti* Ernesti; *secreti* Codd. — 22 *anno* addidit Madvig. — 23 *latere prelecta* in marg. *latere lecto* E; *latere prelecto* T; *latere lecto* AB, *prelecta* in marg. A; *litore* restituit Pichena. — *reditura erat* Madvig, *redierat* Codd.

39. 2 *auctum* Lipsius, *actum* Codd. — 2-3 *ut erat Domitianus* in marg. *Domitiano moris* ET; *ut Domitiano moris erat* in marg. *ut erat Domitianus* A; *ut Domitianus erat* B. — 10 *principem* ET; idem coniecerat Nipperdey: *principis* AB. — 12 *cetera* ET; *et cetera* AB; *et* iam deleverat Wex.

40. 7 *missum*] Hic desinit vetus cod. Aesini scriptura. — 9 *eo praecepto* ET; *praecepto* AB. — 21 *hausit* Wex, *auxit* Codd.

41. 9 *totis cohortibus* (in marg. *tot* E) ET; *tot cohortibus* AB. — 14 *vigorem* EAT; *vigorem et* B. — 19 *deterioribus principem* AEB; om. T.

42. 8 *iam* Rhenanus, *tam* Codd. — 13 *proconsulare* ET; *proconsulari* EmAB. — 22 *moris est illicita mirari* EAB; *illicita mirari moris est* T. — 25 *in nullum rei p.* Muretus; *in ullum rei post* (in marg. *in nullum re p̄*) EA; *in ullum* (in marg. *nullum*) *rei publicae* T; *in ullum rei post* B.

43. 6 *oblitus est* Codd.; *est* delevit Muretus. — 7 *nobis nihil comperti* EAB; om. T. — 12 *dispositos* EAB; om. T. — 13 *constabat* (in marg. *constat* E) ET; *constabant* AB. — 14 *habitu* Ernesti; *animo* Codd.

44. 1 *iterum* Nipperdey; *ter* Codd. — 2 *sexto* Codd.: *quarto* Petavius. *tertio* Ritter. Cfr. supra *Praef.*, p. XI. — 3 *decimum* E: *decu(i)mo* AB: *decumum* T. — 5 *impetus* in marg. *metus* ET: *metus* A; *metus et impetus* B. — 13 *spetiose non contigerant*, in marg. *spetiose contigerant* E; *speciosae non contigerant* in marg. *speciosae contigerant* AT; *speciosae non contigerant* B. — 14 *uxore*] *uxoris* Em. — 16 *sicuti*] post hoc verbum lacunam suspicati sunt plerique: *sicut iuvaret* scripsit I. Mueller, *sicut ei non licuit* Halm, *sicut ei non contigit* Schuetz; nos locum integrum habemus, modo statim post (l. 18) *quod* deleatur. — 17 *hac... luce* Codd., em. Acidalius. — 18 *augurio*] *quod augurio* Codd., *quodam augurio* editores Bipontini, *quod* delevit Rhenanus.

45. 4 *charus* (*clarus* B) *mitius* Codd., emendavit Rhenanus. — 5 *arcem* in marg. *villam* ET; *villam* A; *arcem* B. — 6 *etiam tum* ET, quod iam coniecerat I. Fr. Gronovius; *iam tum* A; *tum* B. — 7-8 *Maurici Rusticique visus* in marg. *mauricum rusticumque divisimus* ET; *Maurici Rusticique visus* AB. — 14 *quo* Lipsius, *a quo* Codd. — 16 *perhibent* Puteolanus; *perhiberent* Codd. — 17 *interfuere* ET; *interfuerunt* AB. — 22 *contigit* EAB; *contingit* T. — *excepissemus* Pichena; *excepissem* Codd. — 23 *figeremus* in marg. *pingeremus* EAT: *figeremus* B. — 28 *tamen*] *tum* E. — *comploratus* in marg. *compositus* E; *comploratus* AB; *compositus es* Am.

46. 6 *temporalibus et* (in marg. *temporibus* E) ET; *temporalibus* AB, *et immortalibus* Acidalius. — 7 *similitudine* Grotius; *militum* AE; *multum* B. — 8 *decoramus* Codd.; *colamus* Muretus; *decoremus* Ursinus. — 11 *famamque* EAB; *formamque* T teste Leuze. — 20 *in fama* Halm; *fama* Codd. — 22 *obruet* Codd.; *obruit* Haupt.

DE

CORNELII TACITI

VITA, FAMILIA, SCRIPTIS TESTIMONIA VETERA

A

CAROLO PASCAL

CONLECTA

Cassiodor., *Var.* V, 2 (*Mon. Germ. Hist., Auct. ant.* T. XII, p. 143, *Hestis Theodericus rex*):

Et ideo salutatione vos affectuosa requirentes indicamus sucina, quae a vobis per harum portitores directa sunt, grato animo fuisse suscepta. Quae ad vos Oceani unda descendens hanc levissimam substantiam, sicut et vestrorum relatio continebat, exportat: sed unde veniat, incognitum vos habere dixerunt, quam ante omnes homines patria vestra offerente suscipitis. Haec quodam Cornelio describente legitur in interioribus insulis Oceani ex arboris suco defluens, unde et sucinum dicitur, paulatim solis ardore coalescere. Fit enim sudatile metallum, teneritudo perspicua, modo croceo colore rubens, modo flammea claritate pinguescens, ut cum in maris fuerit delapsa confinio, aestu alternante purata vestris litoribus tradatur exposita (cfr. Tac. *Germ.* 45).

Hieronymus, *Comm. in Zachariam* III, 14 (MIGNE, *Patrol. lat.* XXV, col. 1522):

Haec omnia plenissime Iosephus, qui Iudaicam scripsit historiam, et multo maiora quam legimus in prophetis, eos sustinuisse conmemorat; Cornelius quoque Tacitus, qui post Augustum usque ad mortem Domitiani vitas Caesarum triginta voluminibus exaravit.

Iohannes Saresberiensis, *Polycraticus* VIII, 18 (MIGNE, *Patr. lat.* CXCIX, col. 788):

Haec quidem possunt et apud alios historicos inveniri diffusius, qui tyrannorum atrocitates et exitus miseros plenius scribunt. Quae si quis diligentius recenseri voluerit, legat ea quae Trogus, Pompeius, Iosephus, Hegesippus, Suetonius, Q. Curtius, Corn. Tacitus, T. Livius, Serenus et Tranquillus et alii historici, quos enumerare longum est, suis comprehenderunt historiis. Ex quibus facile liquebit, quia semper tyranno licuit adulari, licuit eum decipere, et honestum fuit occidere, si tamen aliter coerceri non poterat.

Iordanes, *De origine actibusque Getarum* 2:

Cornelius etiam, annalium scriptor, enarrat metallis plurimis copiosam (*sc. Britanniam insulam*), herbis frequentem et his feraciorem omnibus, quae pecora magis quam homines alant: labi vero per eam multa quam maxima relabique flumina gemmas margaritasque volventia (cfr. Tac. *Agr.* 10).

Orosius, *Adv. Paganos* I, 5, 1:

Ante annos urbis conditae MCLX confinem Arabiae regionem, quae tunc Pentapolis vocabatur, arsisse penitus igne caelesti inter alios etiam Cornelius Tacitus refert, qui sic ait: 2. 'Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos, fulminum iactu arsisse; sed manere vestigia, terramque ipsam, specie solidam, vim frugiferam perdidisse'. 3. Et cum hoc loco nihil de incensis propter peccata hominum civitatibus quasi ignarus expresserit, paulo post velut oblitus consilii subicit et dicit: 4. 'Ego sicut inclitas quondam urbes igne caelesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram et conrumpi reor' (cfr. Tac. *Hist.* V, 7).

Id., I, 10, 1:

Anno autem ante urbem conditam DCCCV infanda Aegyptiis mala atque intolerabiles plagas incubuisse Pompeius Corneliusque testantur: qui quidem, cum haec ambo de Iudaeis referenda proponant, aliquantulum me pro sui diversitate moverunt..... 3: at vero Cornelius de eadem re sic ait: Plurimi auctores consentiunt orta per Aegyptum tabe quae corpora foedaret, regem Bocchorim adito Hammonis oraculo remedium petentem purgare regnum et id genus hominum ut invisum deis alias in terras avehere iussum. 4: Sic conquisitum conlectumque vulgus postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus, Moysen, unum exulum, monuisse, ne quam deorum hominumve opem exspectarent, sed sibimet duci caelesti crederent, primo cuius auxilio praesentes miserias pepulissent. 5: itaque Cornelius dicit, quod ipsis Aegyptiis cogentibus Iudaei in deserta propulsi sint, et postea subiungit incaute, quia ope Moysi ducis in Aegypto miserias propulissent (cfr. Tac. *Hist.* V, 3 sqq.).

Id., VII, 3, 7:

Dein, ut verbis Cornelii Taciti loquar, sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novae gentes saepe ex usu et aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium (1).

Id., VII, 9, 7 (*de Tito urbem Hierosolyma solo adaequante*):

Sexcenta milia Iudaeorum eo bello interfecta Cornelius et Suetonius referunt (cfr. Tac. *Hist.* V, 13).

Id., VII, 10, 4 (*de Domitiano agitur*):

Nam quanta fuerint Diurpanei Dacorum regis cum Fusco duce proelia, quantaeque Romanorum clades, longo textu evolverem, nisi Cornelius Tacitus, qui hanc historiam diligentissime contexuit, de reticendo interfectorum numero et Sallustium Crispum et alios auctores quamplurimos sanxisse et se ipsum idem potissimum elegisse dixisset (2).

(1) Ex Taciti *Historiis* sumptum; at locus haud superest. Eadem fere, haud allato Taciti nomine Orosius affert alibi: VI, 22, 2; VII, 9. 9; cfr. etiam infra VII, 19, 4.

(2) Hic locus et ceteri qui in libris nobis ab antiquitate traditis haud supersunt, inter reliquias librorum deperditorum sunt collocandi.

Id., VII, 19, 4:

Gordianus admodum puer in orientem ad bellum Parthicum profecturus, sicut Eutropius scribit, Iani portas aperuit: quas utrum post Vespasianum et Titum aliquis clauserit, neminem scripsisse memini, cum tamen eas ab ipso Vespasiano post annum apertas Cornelius Tacitus prodat (v. supra adn. ad VII, 3, 7).

Id., VII, 27, 1:

In primo libello expositum a nobis est, Pompeium Trogum et Cornelium Tacitum conmemorasse non plene quidem, nostrum vero Moysen, etiam ipsorum testimonio fidelem, fideliter sufficienterque dixisse Aegyptios et regem eorum, cum populum Dei servire intentum et paratum Deo suo, impediendae devotionis instinctu ad lutum paleasque revocarent, decem acerbissimis plagis fuisse vexatos (cfr. supra I, 10, 1-5).

Id., VII, 34, 5:

(Theodosius) maximas illas Scythicas gentes formidatasque cunctis maioribus, Alexandro quoque illi Magno, sicut Pompeius Corneliusque testati sunt, evitatas, nunc autem extincto Romano exercitu Romanis equis armisque instructissimas, hoc est Alanos Hunnos et Gothos, incunctanter adgressus magnis multisque proeliis vicit (v. Oros. I, 16, 2; et cfr. A. v. GUTSCHMID in *Jahrb. für Philol.*, *Suppl.* 2, 191).

Plin., *Hist. Nat.* VII, 16 (17):

Ipsi non pridem vidimus eadem omnia praeter pubertatem in filio Corn. Taciti equitis Romani, Galliae Belgicae rationes procurantis. (*Hunc Galliae Belgicae procuratorem fuisse nostri scriptoris patrem statuerunt iam plerique:* cfr. AJASSON DE GRANDSAGNE, *Excurs. ad h. l.*, in PLINII edit. Parisiis, Lemaire, 1827, vol. III, p. 265-270).

Plin. (nepos), *Epist.* II, 1, 6:

Laudatus est Verginius a cons. Cornelio Tacito. Nam hic felicitati eius supremus cumulus accessit, laudator eloquentissimus (1).

Id., *ibid.*, II, 11, 2:

Ego et Cornelius Tacitus, adesse provincialibus iussi, existimavimus fidei nostrae convenire notum senatui facere excessisse Priscum immanitate et saevitia crimina quibus dari iudices possint.

Id., *ibid.* II, 11, 17:

Respondit (*sc. Salvio Liberali, dicente pro Mario proc.*) Cornelius Tacitus eloquentissime, et, quod eximium orationi eius inest, σεμνῶς.

Id., *ibid.* II, 11, 19:

In fine sententiae adiecit (*sc. Cornutus Tertullus*), quod ego et Tacitus iniuncta advocatione diligenter et fortiter functi essemus, arbitrari senatum ita nos fecisse, ut dignum mandatis partibus fuerit.

(1) V. de hoc loco KLEBS. *Rhein. Mus.* 1889, p. 273 sqq.

Id., *ibid.* IV, 15, 1:

Idem (*sc. Asinius Rufus*) Cornelium Tacitum, scis quem virum, arta familiaritate conplexus est.

Id., *ibid.* VI, 16, 1 (*ad Tacitum*):

Petis ut avunculi mei exitum tibi scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago: nam video morti eius, si celebretur a te, inmortalem gloriam esse propositam.

Id., *ibid.* VII, 20, 3 (*ad Tacitum*):

Erit rarum et insigne, duos homines, aetate prope modum aequales, non nullius in litteris nominis, alterum alterius studia fovisse. Equidem adulescentulus, cum iam tua fama gloriaque floreret, te sequi, tibi longo, sed proximus, intervallo, et esse et haberi concupiscebam.

Id., *ibid.* VIII, 7, 1 (*ad Tacitum*):

Neque ut magistro magister, neque ut discipulo discipulus (sic enim scribis) sed ut discipulo magister (nam tu magister, ego contra: atque ideo tu in scholam revocas, ego adhuc Saturnalia extendo), librum misisti.

Id., *ibid.* IX, 14 (*ad Tacitum*):

Nec ipse tibi plaudis; et ego nihil magis ex fide quam de te scribo. Posteris an aliqua cura nostri nescio: nos certe meremur ut sit aliqua: non dico ingenio (id enim superbum), sed studio, sed labore et reverentia posterorum.

Praeterea et aliae ad *Cornelium Tacitum* a PLINIO missae sunt epistulae: I, 6 et 20; IV, 13; VI, 9 et 20; IX, 10.

Quintil., X, 1, 103:

Superest adhuc et exornat aetatis suae gloriam vir saeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intellegitur. Habet amatores, nec inmerito, ut libertas, quamquam circumcisis quae dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum, et audaces sententias deprehendas etiam in iis quae manent (*ad Cornelium Tacitum veri simile est referendum esse hunc locum*).

Scholiastes ad Iuven. *Sat.* II, 99:

Occiso Galba imperatore Otho invasit imperium, qui tam probrosae curae in polienda forma fuit, ut humecto pane faciem liniret ad sollicitandum candorem. Utebatur et speculo. Hunc conparabilis eius vitae bello civili Vitellius vicit apud Bebriacum campum. Horum bellum scripsit Cornelius, scripsit et Pompeius Planta, qui ait Bebriacum vicum esse a Cremona vicesimo lapide (cfr. Tac. *Hist.* II, 23).

Id., ad Iuven. *sat.* XIV, 102:

(Moyses) sacerdos vel rex eius gentis, aut ipsius quidem religionis inventor, cuius Cornelius etiam Tacitus meminit (cfr. Tac. *Hist.* V, 5).

Servius (Dan.) ad *Aen.* III, 399:

qui autem (ex Opuntiis) Libyam delati sunt Nasamones appellantur, ut Cornelius Tacitus refert, oriundi a Naryciis, quod ibi invenies ubi

ait Lybicone habitantes litore Locros. — (*Excerpta Serviana* in cod. Bibl. Ambros. S. 83. Sup.: Cornelius Tacitus dicit Opuntios qui Libyam (*libiam* cod.) delati sunt Nasamones appellari a Naritiis oriundos).

Sidonius Apollinaris, ed. Lvetjohann (*Monum. Germ. Histor., Auctores ant.* VIII, p. 65, 25) *Epist.* IV, 14 (*ad Polemium*):
Gaius (1) Tacitus, unus e maioribus tuis, Ulpianorum temporum consularis, sub verbis cuiuspiam Germanici ducis in historia sua rettulit dicens: ' cum Vespasiano mihi vetus amicitia: et, dum privatus esset, amici vocabamur '.

Id., p. 72, 25 Lv. = *Ep.* IV, 22 (*ad Leonem*):
Namque et antiquitus, cum Gaius Cornelius Gaio Secundo paria suasisset, ipse postmodum quod iniunxit arripuit, idque ab exemplo nunc melius aggrederis, quia et ego Plinio ut discipulus assurgo et tu vetusto genere narrandi iure Cornelium antevenis, qui saeculo nostro si revivisceret teque qualis in litteris et quantus habeare conspicaretur, modo verius Tacitus esset.

Id., *Ad Consentium* (*Carm.* XXIII, vv. 152-154, p. 253 Lv.):

Et te qui brevitate, Crispe, polles,
Et qui pro ingenio fluenti nulli,
Corneli Tacite, es tacendus ori.

Id., *Pan. ad Anthemium* (*Carm.* II, 190-192, p. 178 Lv.):

Qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus,
Qua pompa Tacitus numquam sine laude loquendus.

Tac., *Ann.* XI, 11:
Isdem consulibus ludi saeculares octingentesimo post Romam conditam, quarto et sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt (*anno p. C. n.* 88). Utriusque principis rationes praetermitto, satis narratas libris quibus res imperatoris Domitiani conposui (2).

Id., *Ann.* II, 61:
Exin Elephantinem ac Syenen, claustra olim imperii Romani, quod nunc Rubrum ad mare patescit (3).

---

(1) Praenomen *Gaius*, quod apud Sidonium bis invenitur, legitur etiam in quibusdam libris recentioribus, velut in Farnesiano, qui dicitur, et in Vaticano 4498; in Mediceo I tamen, qui est in Bibliotheca Laurentiana Florentiae (plut. 68, 1) legitur *P. Corneli.* Vide quae habet W. Studemund (*Eos* II, 224, *Herm.* VIII, 234).

(2) Historias a se igitur iam conpositas ante annales significat.

(3) Liber igitur annalium secundus conpositus est post annum 106 i. e. post expeditionem Cornelii Palmae; cfr. Eutrop. 8, 3: « (Traianus) usque ad Indiae fines et mar Rubrum accessit »; qua de re cfr. Asbach, *Raumer's Histor. Taschenbuch*, 1887, p. 147 Klebs, *Prosopogr. imp. Romani* I, pag. 469.

Id., *Ann.* XI, 11:

Nam is quoque (*sc. Domitianus*) edidit ludos saecularis iisque intentius adfui sacerdotio quindecemvirali praeditus ac tunc praetor; quod non iactantia refero, sed quia collegio quindecemvirum antiquitus ea cura et magistratus potissimum exsequebantur officia caerimoniarum.

Id., *Agr.* 3:

..... augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus..... Hic nterim liber honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus (1).

Id., *Agric.* 9:

Consul (*sc. Cn. Iulius Agricola anno* 77 *p. Chr. n.*) egregiae tum spei filiam iuveni mihi despondit ac post consulatum conlocavit, et statim Britanniae praepositus est, adiecto pontificatus sacerdotio.

Id., *Hist.* I, 1:

Mihi Galba Otho Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim: sed inconruptam fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est. Quod si vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate ubi sentire quae velis et quae sentias dicere licet.

Id., *Agric.* 45:

Noster hic dolor, nostrum vulnus, nobis tam longae absentiae condicione ante quadriennium amissus est (*sc. Agricola, anno* 93 *p. C. n.*).

Id., *De oratorib.* 2:

..... quos (*Marcum Aprum et Iulium Secundum*) ego utrosque non modo in iudiciis studiose audiebam, sed domi quoque et in publico adsectabar, mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem.

Tertull., *Apolog.* XVI:

Nam, ut quidam, somniastis caput asininum esse deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem eiusmodi inseruit. Is enim in quinta Historiarum suarum bellum Iudaicum exorsus ab origine gentis, etiam de ipsa tam origine quam de nomine et religione gentis quae voluit argumentatus, Iudaeos refert Aegypto expeditos sive, ut putavit, extorres vastis Arabiae in locis aquarum egentissimis, cum siti macerarentur, onagris, qui forte de pastu potum petituri aestimabantur, indicibus, fontibus usos, ob eam gratiam consimilis bestiae superficiem consecrasse. Atque ita inde praesumptum opinor, nos quoque ut Iudaicae religionis propinquos eidem simulacro initiari. At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille menda-

---

(1) Edidit igitur Agricolam post excessum Nervae anno 98. Eo fere tempore etiam edidit Germaniam, ut efficitur ex capite 37, ubi de Germanis legitur: « proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt », quae verba triumphum Domitiani de Cattis significant, de quo ipse Tacitus *Agric.* cap. 39: « Inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum », cett.

ciorum loquacissimus, in eadem historia refert Cn. Pompeium, cum Hierusalem cepisset proptereaque templum adisset speculandis Iudaicae religionis arcanis, nullum illic repperisse simulacrum (cfr. Tac. *Hist.* V, 3; V, 9).

Id., *Ad nat.* I, 11:

Inde opinor praesumptum nos quoque, ut Iudaicae religionis propinquos, eidem simulacro (sc. onagri) initiari. At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacissimus, oblitus adfirmationis suae in posterioribus refert Pompeium Magnum de Iudaeis debellatis captisque Hierosolymis templum adisse et perscrutatum nihil simulacri repperisse (cfr. Tac. *Hist.* V, 9).

Id., *Ad nat.* II, 12:

Exstat apud litteras vestras usquequaque Saturni census. Legimus apud Cassium Severum, apud Cornelium Nepotem et Tacitum, apud Graecos quoque Diodorum quive alii antiquitatum canos collegerunt. Nec fideliora vestigia eius, quam in ipsa Italia signata sunt (cfr. Tac. *Hist.* V, 2; 4).

Flavius Vopiscus, *Prob.* 2, 7:

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos atque omnes disertissimos imitarer viros in vita principum et temporibus disserendis, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargilium Martialem ceterosque, qui haec et talia non tam diserte quam vere memoriae tradiderunt.

Id., *Tacit.* 10, 3:

Cornelium Tacitum scriptorem historiae Augustae quod parentem suum eundem diceret (*sc. imp. Tacitus*), in omnibus bibliothecis conlocari iussit, neve lectorum incuria deperiret, librum per annos singulos decies scribi publicitus †† (1) cuicos archiis iussit et in bibliothecis poni.

Id., *Aurelian.* 2, 1:

..... me contra dicente neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum, prodente quin etiam in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convincerentur.

Titulos habes *Mylasenum* (*Bull. de corr. héll.* XIV (1890), *Sitzungsb. Wien. Akad.-Philol. hist. Class.* 1895, p. 18) et testamentum, quod dicitur *Dasumii* (*C. I. L.* VI, 10229); quorum in priore [ἀνθυπά]τῳ Κορνηλίῳ Τακίτῳ legitur, in altero Tacitus fortasse nominatur inter amicos legatis donatos:

[*Amicis*] infra scriptis qu[*isquis mihi heres erit dare damnas esto singul*]*is* auri p(ondo) libras: Iuli[*o*.....]no, Volusio Iuliano, [..... *Plinio* (?)] Secundo, Cornelio [*Tacito* (?)], cett. — Vide C. G. Brunsii *Fontes iuris Romani antiqui*, septimum editos ab Ottone Gradenwitz, (*Tubingae*, 1909), I, p. 305.

(1) Fortasse: *atque in civicis archiis*, cett.

INDEX NOMINUM

IN TACITI LIBELLUM

Numeri ad singula capita lectores mittunt.

TABULA RERUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum

MODERANTE CAROLO PASCAL

PRIMA SERIE:

1. **Q. VALERII CATULLI — Carmina.** Recensuit, praefatus est, appendicem criticam addidit CAROLUS PASCAL. L. 2 25
2. **CORNELII TACITI — De origine et situ Germanorum liber.** Ad fidem praecipue codicis Aesini recensuit, praefatus est CAESAR ANNIBALDI. Appendicem criticam in Taciti libellum, Scriptorum Romanorum de Germanis veteribus testimonia selecta adiecit CAROLUS PASCAL. . . . . » 1 25
3. **C. IULII CAESARIS — Commentarii De Bello Civili.** Recensuit, praefatus est, brevi appendice critica instruxit DOMINICUS BASSI. . . . . » 2 75
4. **M. TULLII CICERONIS — De Re Publica** librorum sex quae supersunt. Recensuit, brevi appendice critica instruxit CAROLUS PASCAL. Praefatus est, testimonia adiecit IOHANNES GALBIATI . . . . » 2 75
5. **M. MINUCII FELICIS — Octavius.** Recognovit, praefatus est, appendicem criticam addidit ALOISIUS VALMAGGI. » 1 25

N.B. *L'associazione a questa prima serie di cinque volumi del* Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum *costa Lire* 10. *Inviare vaglia ad una delle Librerie* **G. B. Paravia e C.**, *Torino, Roma, Milano, Firenze, Napoli, Palermo (Genova: Libreria A. Montaldo).*

SECONDA SERIE:

6. **T. MACCI PLAUTI — Stichus.** Ad codicis Ambrosiani praecipue fidem edidit, appendicem criticam addidit C. O. ZURETTI L. 1 50
7. **CORNELII TACITI — De vita Iulii Agricolae liber.** Recensuit, praefatus est, appendice critica instruxit CAESAR ANNIBALDI; accedunt de Cornelio Tacito testimonia vetera a CAROLO PASCAL conlecta . . . . » 1 25
8. **M. TULLII CICERONIS — Pro Milone, Pro Archia.** Additis argumentis Asconii et Scholiastae Gronoviani ad Milonianam, Scholiastae Bobiensis ad utramque. Recensuit, praefatus est, appendice critica et indicibus instruxit SIXTUS COLOMBO.
9. **P. VERGILII MARONIS — Bucolicon liber; accedunt poematia duo, falso Vergilio adtributa, Moretum, Copa.** Recensuit CAROLUS PASCAL.
10. **CORNELII TACITI — Dialogus de Oratoribus.** Recensuit F. G. WICK.

In preparazione:

11. **T. MACCI PLAUTI — Captivi.** Recensuit CAROLUS PASCAL.
12. **P. OVIDII NASONIS — Tristia.** Recensuit CAROLUS LANDI.
13. **ALBII TIBULLI — Carmina.** Recensuit F. CALONGHI.
14. **T. LUCRETII CARI — De Rerum Natura.** Recensuit HECTOR BIGNONE.